



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Sect. II. In quo formaliter consistat essentia Sacramenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**



omnia sub eadem definitione complecti, rationemque unam illis ac nostris communem assignare non parum videtur difficile, nisi ejusmodi utrisque naturam ascribamus, quæ sacramentalibus, id est, aliis Ecclesiæ ceremoniis ac ritibus, quæ Sacramenta non sunt, competat. Ad hoc verò clariùs intelligendum, quædam de Sacramenti nomine præmittenda.

III. Sacramentum, ut optimè Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 8. & Coninck hic in explicatione primi articuli, variè sumitur: primò prout idem sonat ac juramentum, qui ferè prophanis Scriptoribus est usus hujus vocis.

IV. Secundò sumitur Sacramentum pro signo rei sacræ: quo sensu, non septem illis solis, quæ Ecclesiæ Sacramenta nuncupat, competit vox illa, sed aliis etiam omnibus ceremoniis ac ritibus, tam Synagogæ, quàm Ecclesiæ, quæ plus semper continebant quàm præ se in externâ specie ferebant. Hoc sensu parabolæ omnes, ipsaque etiam Apocalypsis dici possent mysterium & Sacramentum: quo sensu Sanctus Augustinus libro 8. de Genesi ad literam cap. 4. Lignum vitæ vocat Sacramentum Christi.

V. Tertio usurpari solet Sacramentum, seu mysterium pro re quavis arcanâ, & hoc sensu idem est Sacramentum quod secretum: sic Tob. 12. vers. 7. dicitur: *Sacramentum regis abscondere bonum est*, & ad Ephesios 1. vers. 9. ut notum nobis faceret Sacramentum voluntatis suæ, quo sensu mysterium deductum volunt auctores à græcis vocibus *μυστήριον*, quod clauda significat, & *σώμα*, quasi quod sacrum & arcanum est, silentio sit prehendendum.

VI. Quarto accipitur Sacramentum pro ceremoniâ, quâ homines peculiari aliquâ ratione Deo dicantur, qui proinde mystæ dicebantur à verbo *μυστήριον*, quod est initio, seu sacris imbuo. Unde Cicero secundo de Legibus ait mysteria vocari initia, quibus ex agrèlli vitâ exculi ad humanitatem sumus, tanquam ea sint vitæ principia.

VII. Quintò demum Sacramentum, seu mysterium denotat id quod sanctitatem aliquam & significat, & suscipientibus confert, quo sensu de eo hic est sermo. Solum noto frustra in orthodoxos debacchari nostri temporis sectarios, quasi Sacramenti nomen in peregrinos sensus detorqueant, primò enim ipsi in idem recidunt, cum duo saltem Sacramenta admittant. Deinde eâ Patrum, Doctorum, totiusque ad eodè Ecclesiæ auctoritate firmatus est hic istius vocis usus, ut frustra obloquantur hæretici.

VIII. Sacramentum itaque, de quo hic loquimur, esse debet signum sensibile, & consequenter materiale quiddam, & sensibus subiectum, ut docent Theologi communiter in quarto, dist. 1. & Sanctus Thomas hac quaestione, art. 4. quod etiam clarè tradit Sanctus Augustinus, tum alibi, tum libro 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 1. licet enim nil vetet quo minùs instituere possit Deus rem spirituales tanquam signum præcticum gratiæ, nempe ad cuius præsentiam semper confertur, actum verbi gratia aliquem intellectus, aut voluntatis Angelicæ, non tamen esset Sacramentum prout hic de Sacramento loquimur, nempe signum & Sacramentum humanum, ad homines in unius Ecclesiæ & Dei cultus formâ continendos, quod optimè docet Sanctus Augustinus lib. 10. contra Faustum, cap. 11. his verbis: *In nullum religionis nomen convenire possunt homines, nisi aliquo signaculorum, vel visibilium Sacramentorum*

*rum consortio colligentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.*

Dices: Character impressus in quibusdam Sacramentis, est quid spirituale, & consequenter insensibile, idem est de contritione, & tamen sunt materia, hæc Penitentia, ille Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, ergo non est de conceptu Sacramenti, ut sit quid sensibile. Contra: Christus prout in Eucharistiâ existit modo spirituali, & consequenter insensibili, & tamen constituit Sacramentum, ergo.

Respondetur, non esse necessarium ut quicquid constituit Sacramentum sit sensibile per se, sed sufficit quòd per aliud rationem illam sortitur, ut contritio per confessionem, character per ablationem vel unctionem, Christus per species panis & vini, sub quibus existens per modum cibi spirituales animæ refectionem significat, sicut ablutio corporis, ejusdem animæ ablationem. Ut verò totum recipiat denominationem sensibilibus, sufficit quòd aliquid sensibile includat, quâ de causâ homo sensibilibus dicitur, quamvis altera ejus pars spiritualis sit, & insensibilis.

SECTIO SECUNDA.

In quo formaliter consistat essentia Sacramenti?

EX quatuor illis, quæ ad perfectam cuiusque rei cognitionem inquirenda à Philosophis præscribuntur, primum, nempe *an sit*, in præfenti supponendum, cum sacrarum literarum testimonio constat septem Sacramenta, seu sacramentalia ad gratiam nobis impertiendam, ac peculiariter ad effectus varios auxilia, ab humani generis redemptore esse Ecclesiæ relicta. Hic ergo secundum, quid nimirum sit Sacramentum peculiariter inquiremus, variisque diversorum hac de re placitis in præfenti sectione relatis, quid nobis verisimilius videatur, sectione sequente aperiemus.

Pater Suarez hic, disp. 1. sect. 4. & P. Vasquez hic, disp. 128. cap. 2. nonnullos referunt ex antiquioribus Theologis, qui affirmare videntur Sacramentum definiri non posse; cum enim inquirunt, sit ens per accidens, sicut essentiam non habet unam, ita nec unicâ definitione explicari potest. Sed hoc facile rejicitur, Sacramentum enim licet non sit tam perfectè unum ac homo, aut compositum quodvis physicum, non tamen ita disparatè se habent inter se illius partes, ut in essentiam & definitionem unam coalescere non possint, ad hoc enim sufficit illius partes aliquam ad se dicere habitudinem. Unde sicut definitur exercitum & oratio, sic non est cur definiri nequeat Sacramentum.

Hoc ergo rejecto, Pater Vasquez citatus, in hoc ait sitam esse essentiam Sacramenti, ut veram sanctitatem significet, licet nec illam, nec ullam aliam conferat: quam suam sententiam fundat in communi illâ definitione Sacramenti, quòd sit *signum visibile invisibilis gratiæ*, hoc autem signum vult esse merè speculativum, non præcticum, quæ etiam opinio videtur esse communis Thomistarum. Sed contra: Hac enim ratione multa admitti debent in numerum Sacramentorum, quæ communi Theologorum consensu excluduntur, qualia

III. Sacramentum variè sumitur: primò pro juramento.

IV. Secundò, Sacramentum idem est ac signum rei sacræ.

V. Sumitur etiam Sacramentum pro re quavis arcanâ.

VI. Sacramentum insuper ritum aliquem significat, quæ homines Deo dicantur.

VII. Tandem Sacramentum denotat id, quòd sanctitatem & significat, & confert.

VIII. Sacramentum, ut hic sumitur, esse debet quid sensibile, & consequenter materiale.

IX. Obje. Chæ. racter & c. tritio sunt quid spirituale, & tamen sunt materia Sacramenti.

X. Respondetur, ut quid constituit Sacramentum sit sensibile per se, sed sufficit quòd per aliud rationem illam sortitur, ut contritio per confessionem, character per ablationem vel unctionem, Christus per species panis & vini, sub quibus existens per modum cibi spirituales animæ refectionem significat, sicut ablutio corporis, ejusdem animæ ablationem. Ut verò totum recipiat denominationem sensibilibus, sufficit quòd aliquid sensibile includat, quâ de causâ homo sensibilibus dicitur, quamvis altera ejus pars spiritualis sit, & insensibilis.

I. Dari Sacramentalia, sacrarum literarum testimonio constat.

II. Dicitur autem qui Sacramentum, nupèd ens per accidens, defini non possit.

III. Prima sententia est, Sacramentum esse signum visibile invisibilis gratiæ.



qualia in Lege veteri sunt transitus maris rubri, aqua profluens è petrà, comestio agni paschalis, manna, & pleraque sacrificia, quæ tamen Sacramenta non erant etsi gratiam per Christum dandam figurarent.

IV. Dices cum Patre Vasquez, hæc quæ proximè retulimus significasse quidem gratiam, idque ex divinâ institutione, sed paucis tantum, non passim omnibus, quod tamen ad rationem Sacramenti requiritur. Sed contra primò: Sic enim multa Sacramenta non in lege solùm veteri, sed etiam nova non essent Sacramenta, cum omnibus passim gratiam non significant, sed doctioribus tantum. Contra secundo: Non magis requiritur significatio in Sacramento, quàm in sacrificio, sicut enim Sacramentum est signum gratiæ, ita per sacrificium protestamur Deum esse auctorem vitæ & mortis, ut cum Sancto Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 2. docent communiter Theologi, unde S. Thomas ibidem sacrificium statuit in ratione sacri signi, hæc tamen ejus significatio omnibus non innotescit, ergo non est de ratione vel Sacramenti vel sacrificii, ut illius significatio passim ab omnibus cognoscatur, quod clarè constat in sacrificio illo, quod præcepit Deus Abraham Genes. 22. ut scilicet filium suum Deo in holocaustum offerret, cujus tamen significatio, soli fortassis Abraham erat nota, cum tamen verum esset signum à Deo institutum.

V. Ad rationem ergo signi sufficit quòd ab aliquo auctoritatem publicam habente, Republica scilicet vel Principe, ad rem talem significandam instituat, esto omnibus illius significatio non innotescat. Sic Adamus signa instituit ad placitum, rebus scilicet omnibus sua adaptavit nomina, ad quorum tamen significationem, & ut rationem signi obtinerent, non erat necesse ut alii homines, licet plurimi tunc fuissent, illam scivissent, & perinde quoad hoc est quod Adamus statim post suam creationem illa nomina imposuisset, vel postea cum multos habuit posteros, ergo à fortiori Christus, qui caput est & princeps Ecclesiæ, poterit hujusmodi signa instituerè, quæ ut rationem signi obtineant, nil opus tunc ut omnibus vel maximè etiam hominum parti illorum significatio innotescat.

VI. Tertio dicunt alii, de ratione Sacramenti esse, ut & significet & conferat aliquam sanctitatem, sive illa vera & perfecta sit, nempe interna animæ sanctitas & gratia, sive legalis & imperfecta, qualem conferebant antiqua Sacramenta & ceremoniæ: per hoc autem excluduntur à ratione Sacramenti pleraque ex iis, quæ contra priorem sententiam adduximus; transitus enim maris rubri, aqua profluens ex petrà, & alia hujusmodi, esto gratiam per Christum dandam significarent, nullam tamen omnino gratiam vel sanctitatem conferebant: ita Cano & alii.

VII. Contra tamen hoc est, multæ namque sunt in Lege nova ceremoniæ, sanctitatem aliquam conferentes, quæ tamen Sacramenta non sunt, ut prima tonsura per quam ceremoniam incipit homo dicari cultui divino, quæ proinde aliquam sanctitatem confert, Sacramentum tamen non est, nec ordo ut ex communi Theologorum sententiâ optimè declarat Vasquez hic, Disputatione 236. cap. 1. & Coninck Disput. 20. dub. 1. Idem est de consecratione Abbatis, aquâ lustrali, & cæteris ejusmodi, absolutio etiam ab excommunicatione & censuris Ecclesiasticis secundum hanc sententiam esset Sacramentum; sicut enim

Obje. Man- na, esum agni pascha- lis, & reli- qua hujus- modi, paucis tantum, non omnibus gra- tiam signifi- ficasse.

Quid ad ra- tionem & conceptum signi suffi- ciat.

Dicunt alii ad rationem Sacramenti requiri ut aliquam sanctitatem & signifi- cat & con- ferat.

Sed contra, in hoc enim modo procedendi prima tonsura esset Sacramen- tum.

excommunicatio macula quædam legalis est, ita absolutio ab illâ, est quædam legalis sanctificatio; sicut in lege veteri per lotiones quasdam & sacrificia expiabantur homines à legalibus immunditiis, quas ex contractu mortuorum, & aliis causis contraxerant.

Quarto itaque Suarez Disp. 1. sect. 2. duo ait esse de conceptu Sacramenti, primum ut aliquam sanctitatem, saltem imperfectam suscipienti conferat; secundum ut conferendo imperfectam veram animæ sanctitatem significet: hoc autem, inquit, nulli quod Sacramentum non sit, competit. In hæc etiam sententia est P. Coninck art. 4. dub. 1. & multi ex Recentioribus. Contra tamen est: nam chrisma, sal, saliua, & alia in Baptismo adhiberi solita, aliquam sanctitatem, saltem imperfectam conferunt, & veram, ac dona Spiritus Sancti significant; ergo erunt Sacramenta. Idem dicunt aliqui sequi de primâ tonsurâ, consecratione Abbatis, professione religiosâ, & aliis similibus, quæ tamen nullus ait esse Sacramenta.

Addit Pater Coninck n. 20. sicut legalis quædam sanctitas erat propria Legis antiquæ, ita veram sanctitatem, quæ in gratiâ & Spiritus Sancti donis consistit propriam esse præsentis status Ecclesiæ post Christum, quæ propterea Lex gratiæ dicitur: unde, inquit, ille, Sacramenta veteris Legis licet veram sanctitatem non conferrent, erant tamen vera Sacramenta, quia conferebant sanctitatem suo statui propriam, quod, cum nostris Sacramentalibus non competat, excludit ea à ratione Sacramentorum.

Sed contra primò: Nami legis quædam sanctitas æquè propria est Ecclesiæ ac Synagogæ; habet enim Ecclesia ritus suos, & ceremonias non minùs quàm Synagoga habuit suos, vocatur autem Lex gratiæ, non quòd aliam sanctitatem non conferat, sed quòd Deus uberius jam gratiam & auxilia supernaturalia hominibus imper- tiatur, quàm ante adventum Christi. Contra secundo: Si ergo in Lege veteri fuisset aliquid institutum ad conferendum gratiam ex opere operato more nostrorum Sacramentorum, Baptismus v. g. (quod affirmant multi de Circum- cisione) sequeretur non fore Sacramentum, quod tamen valde videtur mirum.

SECTIO TERTIA.

Resolvitur questio circa essentiam & definitionem Sacramenti.

ID imprimis certum exploratumque esse debet, apud omnes, ad rationem Sacramenti non sufficere ut sit quid speculativum, sed esse necessariò debere signum practicum, seu causativum alicujus sanctitatis in eo qui Sacramentum suscipit. Hinc quantumcunque verba formæ Sacramenti Penitentia, Ego te absolvo, &c. vi suâ, & naturaliter significant emundationem à peccatis, nisi tamen practicè hanc emundationem significarent, id est significando conferrent, non constituerent Sacramentum, sed essent falsa, sicut de facto sunt falsa dum proferuntur à laico. Hoc posito.

Facilius multò hac in re est aliorum opiniones refellere, ut vidimus Sectione præcedente, quàm certi aliquid statuere, unde Pater Tannerus hic, Disp. 3. quæst. 1. dub. 1. octo diversas Sacramenti definitiones

VIII. Conceptum Sacramenti in hoc statuunt alii, ut imperfectam sanctitatem conferendo, veram significet.

IX. Hinc inferunt nonnulli Sacramenta veteris Legis fuisse vera Sacramenta.

X. Sed contra hoc est, nam legalis sanctitas, non minùs propria est Legi novæ, quàm veteris.

I. Certum est ad Sacramenti constitutionem non sufficere signum speculativum, sed debet esse practicum.

II. Maxima circa naturam Sacramenti, generatim sumpti, est Auctoritas discrepans.